

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Ioannis Andrae Hoffmanni Ivris Vtrivsque Doctoris In  
Academia Ienensi Collectio Selectorvm Opvscvlvm De  
Vnionibvs Electorvm S.R.I.**

**Hofmann, Johann Andreas**

**Ienae, MDCCLII**

**VD18 12896357**

Capvt XV. De Conspirationibvs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18247**

tat, infamis existat, & banno Imperiali subiaceat, & nullus ad feuda vel beneficia huiusmodi pateat ei de cetero quocunque tempore aditus vel regressus, nec de nouo concedi sibi valeant vllō modo. Et facta eis contra hoc illorum concessio seu inuestitura secuta, viribus non subsistat §. 4. Postremo omnes poenas praedictas illos vel illum, qui praedicta resignatione facta, contra Dominos suos fraudulenter agentes vel agens, scienter eos inuasert, vel inuasert, diffidatione quacunque praeuia, vel omissa, vigore praesentis Sanctionis incurrere decernimus ipso facto.

## CAPVT XV. DE CONSPIRATIONIBVS.

### §. I.

**D**etestandas praeterea, & sacris legibus reprobatae (\*) conspirationes & conuenticula seu colligationes illicitas, in ciuitatibus & extra, & inter Ciuitatem & Ciuitatem, inter personam & personam siue inter personam & ciuitatem, praetextu parentelae seu receptionis in Ciues, vel alterius cuiuscunque coloris coniurationis: insuper & confoederationes & pacta, nec non & consuetudinem, circa huiusmodi introductam, quam censemus potius corruptelam, reprobamus, damnamus & ex certa scientia irritamus. Quas siue Ciuitates siue Personae cuiuscunque dignitatis seu conditionis aut status, siue inter se, siue cum aliis, absque auctoritate Dominorum, quorum subditi (\*\*) vel ministeriales sunt, seu in quorum districtu consistunt, eisdem Dominis non nominatim exceptis, fecerunt hactenus, & facere praesumserint in futuro. Sicuti per sacras diuorum Augustorum praedecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigitur & cassatas. §. 2. Illis confoederationibus & ligis duntaxat exceptis, quas Principes & Ciuitates, ac alii, super generali Pace Prouinciarum atque Terra-

(\*) vid. De LVDEWIG c. I. T. II. p. 117. lit. c.

(\*\*) vid. art. 8. Pac. Westph. & Capit. Carol. VI. art. VI.



Terrarum inter se firmasse noscuntur. Illas enim nostrae declarationi specialiter reseruantes in suo decernimus vigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum. (\*)

§. II. Personam singularem, quae de cetero contra tenorem praesentis Constitutionis & legis antiquae, super hoc editae, confoederationes, colligationes, conspirationes & pacta huiusmodi inire praesumpserit, ultra poenam legis eiusdem, notam infamiae & poenam decem librarum auri (\*\*). §. 4. Ciuitatem vero, vel Vniuersitatem in hanc legem nostram similiter committentem, centum librarum auri, nec non amissionis & priuationis libertatum & priuilegiorum Imperialium poenas incurrere decernimus eo ipso, medietatem poenae huiusmodi pecuniariae fisco Imperiali, (\*\*\*) reliquam vero Domino districtus, in cuius praeiudicium factae fuerint, applicandae.

### CAPVT XVI. DE PFALBURGERIS.

#### §. 1.

Ceterum, quia nonnulli Ciues & subditi Principum, Baronum & aliorum hominum, sicuti frequens ad nos querela perduxit, iugum originariae subiectionis quaerentes abiicere, imo ausu temerario contemnentes, in aliarum Ciuitatum ciues recipi se procurant, & frequentius in praeterito procurarunt; Et nihilominus in priorum Dominorum, quos tali fraude praesumpserunt vel praesumunt deserere, Terris, Ciuitatibus, Oppidis & Villis, corporaliter residentes, Ciuitatum, ad quas hoc modo se transferunt, libertatibus gaudere, & ab eis defensari contendunt, qui in partibus Alamaniae Pfalburgerii consueuerunt vulgari-ter appellari. §. 2. Quoniam autem patrocinari non debeant alicui fraus & dolus, de Imperatoriae potestatis plenitudine omnium Principum electorum, Ecclesiasticorum & Secularium, sano accedente consilio, ex certa conscien-

L1

tia

(\*) Capit. *Caroli VI.* art. 6. Pax Westph. art. 8.

(\*\*) vid. II. F. 53. §. 2.

(\*\*\*) Capit. *Caroli VI.* art. 21.

